



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliae Catholicae De Sacris Arcanis Deiparæ Mariæ Et Iosephi

Cum quadruplici Indice

Cartagena, Juan de

Coloniae Agrippinae, 1613

Piis, Ac Benevolis Lectoribvs Avctor S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51414)



PIIS, AC BENEVOLIS
LECTORIBVS
AVCTOR S.



QVOD quisque pollicitus est, Candidi Lectores, id non prestare, nec officiosi, nec pudentis hominis esse, cum mutua officiorum vicissitudo, tum sanctissima leges testantur. quae res me praecipue impulit, addo etiam, calcaria quasi subdidit, ut extremam manum his Homilijs admoerem. Cum enim superioribus mensibus Typis commisisset, quas in enodandis arcanis ad Christum Dominum spectantibus elaboraveram, Conciones (opus diuini Verbi praconibus, ut mihi ipsi persuaseram, accommodatum) ac sponsonem quasi dedissem cepta prosequendi, praesertim de B. Virginis Mariae laudibus Marianum (ut ita loquar) opus me emissurum promississem, hac conditione, si meis laboribus vestra beneuolentia, & gratia auram arripere animaduertissem. Video pollicitationis mea conuictum, ac voti compotem me esse factum; quod benignissime meis elucubrationibus vestri fauoris prerogativa singularis blandita est, & iam quod mihi proposueram, aliqua ex parte peregrisse cognosco. Nolui igitur desiderium vestrum intercepta mora frustrari, sed Mariani huius operis primum volumen quamprimum praelo committere non dubitavi. utinam verò vestra expectationi respondeant elucubrationes istae: certè ut responderent, summoperè contendi: sed non humanitati vestrae mihi diffidendum esse existimo, quin serena fronte excipiatis eorum labores, qui vobis operam aliquam pro ingenij sui modulo nauare conantur, nec est cur Aristarchi, & Criticorum valde obductas frontes, & censuras pertimescam; ut enim mihi ipsi non blandior, & meis scriptis non ita delector, quin cognoscam me aliquem in lapidem offendisse, eorum tamen me recreat comitas, qui cum in aliena incurrunts scripta, qua commendanda deprehendunt, debita laudatione non defraudant; qua verò improbanda videntur, vel prudenter dissimulant, vel tacita lectione percurrunt, vel etiam benigna emendatione, (ut nos in aliorum scriptis facitamus) sine morsu dignantur. Accipite igitur, quod vobis offertur munus: si vtile, frui mini vestro commodo, & utilitati elaborato opere; sin minus, voluntatem meam de vobis bene merendi aequi boniq; consulite.

INDEX